



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

De Homine, an sit sola anima vel aggregatu[m] ex anima, & corpore,  
opiniones variae. Cap. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**

materiae vndismersa est, penitusque est instrumentaria; iure animal, non rectè dicitur anima corpore vtens, vt de homine dicere Plato consuevit; sed animal est conflatum ex anima, & corpore, vt in Epinomide Plato asseruit: ad eò, quòd primum animal est idea; alterum verò est aggregatum ex corpore, & anima: non enim eorum anima, libera est à corpore, quæ mox corpore vtatur; vt ea hominis. Quòd si etiam de iumentis, & feris seruire volumus, & anima sint; id in alia significatione accipi debet, quàm dum de homine loquimur; nam eatenus est verum, quatenus vnumquodque per formam est id, quod est: & ideo in iumentis quoque, & feris consideratur triplex gradus: datur enim leo pro idea, leo pro imitatione ideæ, demum leo corporeus: Aristoteles, reiecto primo, hos duos postremos concedit.

*De Homine, an sit sola anima, vel aggregatum ex anima, & corpore, opiniones Variæ.*

## CAP. IIII.



Venadmodum Lux tenebris, Æternum mortalibus, Dominus seruis præest; ita ferarum, iumentorumque gregi, præstat Homo: & iure quidem; cum solus mentis, & rationis sit particeps; solus religionis, diuini que cultus splendore refulgeat. De quo inter cætera, quæ præclara consideratione digna nobis occurrunt, hoc prin

principatum obtinet; An Homo sit sola anima, vel potiùs aggregatum ex anima, & corpore: Et iure profectò: nam ex hoc patebit, quid verè sit homo; constabit, quomodo parendum sit Apollini præcipienti, *T B I P S V M N O S C E*; & demum constabit, quæ hominis sint conditiones, quæ sint Hominis propria, & quæ aliena ab eo. Quæ consideratio, vt est præclara, ita est ardua: variæ enim de ea fuêre philosophorum sententiæ. Nonnulli supra corpus nihil excogitantes, hominem esse solum corpus credidere: alij altiùs eleuati, incorporeamque animam cognoscentes; hominem esse aggregatum ex corpore, & anima existimarunt: nonnulli demum putarunt, hominem esse animam rationalem. Primæ opinionis fuerunt illi, qui materiam, & corpus esse vniuersam rei substantiam existimarunt: quorum opinio cumulatè satis, primò à Pythagora, mox à Platone, demum ab Arist. reiecta fuit. Secundæ opinionis sunt Peripatetici, qui hominem esse animal mortale existimant; quod sine carnibus, & ossibus esse non potest. Et iure videtur homo esse id compositum: quoniam in his, quæ subeunt rationem partis, nulla pars dicitur de toto: non enim domus est lapides, neque figura, sed aggregatum ex vtrisque: ita homo, non rectè dicitur anima, non carnes, & ossa; sed compositum ex vtrisque. Sic compositi, non autem solius animæ, dicuntur esse humanæ

operationes: non enim anima ratiocinatur, & videt: sed homo per animam: pariter proprietates hominis, non animæ soli, sed composito conueniunt: vt facilitas ad ridendum. Tertiæ opinionis fuit Plato: qui, cum alibi, tum præsertim in Alcibiade primo asseruit, hominem esse solam animam: ex eo, quia instrumentum non est pars opificis: homo dicitur opifex, corpus est instrumentum eius: nõ itaque corpus est pars hominis. Prætereà, homo est, qui imperat, & dominatur: at sola anima imperat, corpus verò inseruit. Prætereà, cum anima rationalis sit huius conditionis, vt seorsum ab hoc crasso corpore seruetur incolumis: iure videtur esse quid totum, integrum, & perfectum in specie: cuius totius corpus nõ sit pars, sed solùm instrumentum, & vehiculum quoddam. Ex his sequitur, vario modo à Peripatetico, & à Platonico definiri hominem: inquit Peripateticus: Homo est animal rationis particeps: ait Plato: Homo est anima rationalis, mentis particeps, corpore vtens. Quid itaque in huiusmodi controuersia dicendum est?

*Solutio difficultatis.*

CAP. V.

**P**RO resolutione propositæ difficultatis, considerandum primò: quòd secùs se habet de his, quæ includunt animam rationalem; secùs de aliis, ex mortali forma constantibus. Quæ constât  
ex